

ma, et essentialis bonitas, seu entitas talis actus. Secundo est commune argumentum, quia idem actus interior voluntatis ex objecto bonus, potest fieri malus ex eodem objecto per solam mutationem moralem absque mutatione physica; ergo signum est hanc bonitatem non esse ipsam physicam entitatem actus. Antecedens patet, in voluntate comedendi carnes, quando non est prohibitum, nam tunc est voluntas bona, et si accedat prohibitio, fit mala, circa idem omnino objectum tantum moraliter mutatum: ergo et voluntas est etiam physice eadem: nam sumit unitatem suam ex objecto. Tertio est difficile argumentum, quia voluntas potest uno et eodem actu tendere in idem objectum, in quo sunt plures rationes honestatis objectivæ, et propter omnes illas, ergo sumet ab omnibus illis species bonitatis; et tamen non potest sumere species physicas, et entitativas, quia non potest idem actus simul esse in pluribus speciebus: hujusmodi ergo signum est has species supponere unam entitatem actus circa tale objectum materiale, et esse quasdam rationes formales advenientes illi.

2. *Prima sententia vulgaris.* — In hac re videtur esse satis vulgaris, et communis sententiæ has species bonitatis morales etiam ex objecto non constituere primo, et essentialiter, et entitative actus interioris voluntatis, sed unumquemque actum habere suam entitatem physicam ab objecto materiali circa quod versatur, eique superaddi speciem bonitatis moralis ex motivo formali desumptam; quam opinionem indicat Cajetanus 1, 2, quæst. 19. Ubi sentit differentiam bonitatis sumptam ex objecto non dividere per se, et essentialiter actum voluntatis: et idem indicat, in quæst. 18, art. 5, et aliis locis disput. præcedenti citatis, sect. 3, opinione 4, et idem videtur sentire Bonaventura, in 2, d. 41, art. 1, quæst. 2, et favet D. Thomas, 1 p., q. 48, art. 1, ad. 2, dicens bonum et malum non esse differentias essentielles entis, nisi in genere moris.

3. Superest vero in hac opinione explicandum quid sit illud esse virtutis, seu illa bonitas, quæ additur huic actui, ut tendit in objectum formale ultra entitatem; quam habet ex objecto materiali. Duobus enim, aut tribus modis potest hoc explicari. Primo, ut illud nihil sit in actu reale et physicum, sed solum aliquid morale per aliquam denominationem extrinsecam. Hoc vero improbable est, ut convinci potest ex dictis, disputatione præcedenti, sect. 3. Quia hæc denominatio si qua

esset, non posset sumi, nisi ab aliquo alio voluntatis actu, sed nullus est prior a quo sumi possit, quia actus ex objecto bonus potest esse omnino primus, et tantum elicitus, et non imperatus, neque in alium finem relatus. Item quia si esset alius prior, de illo interrogabitur, quid sit bonitas in illo, et redibit eadem quæstio. Tandem ex re ipsa id aperte convincitur, nam voluntatem ferri in aliquod objectum materiale sub tali motivo formali et intrinseco, non est denominatio extrinseca in voluntate, sed est vitalis, et physica tendentia ipsius voluntatis in talem honestatem: unde includit veram appetitionem talis, et totius objecti, non solum quatenus est tale materiale, ut comedere, vel aliquid simile, sed quatenus honestum est; ergo oportet, ut hæc tendentia voluntatis, quatenus terminatur ad illud motivum, sit aliquid reale vere effectum ab ipsa voluntate. Unde auctores citati non negant hoc esse virtutis, seu hanc bonitatem esse aliquid reale in ipsis actibus, sicut qui in intellectu similiter distinguunt materiale, et formale in actu fidei, verbi gratia, non negant, quin assentiri quia Deus dicit, in re ipsa addat aliquid ultra id, quod est assentiri rei materiali, verbi gratia, huic propositioni, *Anima est immortalis*: sed dicunt entitatem materiale illius actus sumi ex objecto materiali, et addito illo motivo, addi entitati rei aliud reale. Et idem etiam convincit exemplum de habitibus virtutum, de quibus non potest negari quin esse virtutis sit aliquid reale physice, et intrinsece existens in ipsis, est enim eadem ratio, et proportio de actibus elicitis a virtutibus, seu generantibus virtutes ipsas, quia non eis communicant hoc esse virtutis, nisi per illud, quod in se habent, et per realem habitudinem ad eadem objecta formalia: quid vero hoc ipsum sit, variis modis juxta hanc sententiam explicari potest.

4. *Alter sensus ejusdem sententiæ.* — *Similem modum vide in tractatu de Fide, disp. 3, sect. 8.* — Alter ergo modus explicandi hanc opinionem est quod in actu interiori voluntatis intelligantur duæ entitates partiales per modum partium integrantium, quarum altera attingat materiale objectum, altera formale, seu rationem volendi, quæ ita inter se comparantur, ut illa prior, qua attingitur materiale objectum, sit veluti fundamentum alterius, atque adeo invariabilis in tali actu; altera vero sit quasi superaddita, et variari possit, et ideo dicatur accidentaliter in esse naturæ, quamvis sit essentialis in esse moris, quæ duæ entitates

non possunt comparari, ut gradus intensionis, sed per modum extensionis ad varia objecta materialia, seu formalia, tum quia gradus intensionis præcise considerati tendunt ad idem objectum sub eadem ratione: tum etiam, quia sunt ejusdem rationis formalis specificæ. Unde intensio supponat speciem constitutam, et non variat illam, at vero in præsentem hæc duæ partes actus interioris tendunt quasi in diversas partes objecti, materiale scilicet et formale, et sunt diversarum rationum et ordinum: nam altera dicitur præcise pertinere ad esse naturæ, altera ad esse moris: et una de se est indifferens, et communis actibus bonis, et malis non solum secundum rationem communem, sed etiam secundum individuum entitatem, alia vero proprie constituit actum virtutis, ut talis est: est ergo hæc compositio quasi ex partibus integrantibus intensive.

5. *Tertius sensus.* — Alii vero dicunt esse prædictam compositionem tanquam ex partibus essentialibus non metaphysicis, quæ sola ratione distinguuntur, et a parte rei separari non possunt: sed physicis ad modum materiæ et formæ, quæ in re ipsa distinguuntur et separantur: nam sicut in objecto datur materiale et formale, quæ in ordine ad operantis intentionem, et voluntatem separari possunt; ita in actu datur pars materialis distincta a formali. Unde sicut materia nunc est sub una forma, postea sub alia, quamvis ab omnibus simul nunquam separetur, neque etiam pars formalis inveniri possit, nisi in tali, quia est veluti forma inhærens.

6. *Quartus sensus.* — Alii denique dicunt hæc duo habere se sicut totam substantiam actus, et modum, seu accidens ejus, nam substantia actus (inquiunt) sumitur ex objecto materiali, quod vero sit sub hoc, vel illo formali, est quidam modus accidentaliter. Hæc vero sententia quocumque ex his modis explicata, mihi semper visa est falsa, et difficillima intellectu, et quoniam res hæc potest esse fundamentum plurium veritatum in materia de gratia; et de actibus infusis tam intellectus, quam voluntatis, ad eam explicandam.

7. *Prima assertio.* — Dicendum primo. In actibus voluntatis (et idem est in intellectu servata proportione) non possunt ex natura rei distingui id quo actus attingit materiale objectum, et quo respicit formale, quod est primum motivum, seu prima ratio attingendi tale materiale. Possunt quidem ratione ratiocinante, vel ratiocinata distingui per modum generis et differentie, aut per duos conceptus

inadæquatos, vel alio simili modo, tamen re ipsa est impossibile. Quod primo declaro exemplo, nam si credo Christum esse Deum, quia Deus dicit, necesse est, ut in eo actu eadem sit entitas indivisibilis, qua attingo illam veritatem, Christus est Deus, et qua præbeo fidem Deo dicenti illam veritatem, quia in ordine ad talem assensum illa dico ita se habent ut unum sine alio non possit movere ad illum assensum, neque ad aliquid ejus, quod etiam proportionale est in habitu a quo talis actus dicitur, atque idem est in actibus voluntatis.

8. Quod secundo principaliter ostendo discurrendo per singulos modos supra positos, nam primus, in numero quarto, qui erat de partibus integrantibus, et generaliter est a me impugnatus, tractando de visione beata. Et præterea non potest ad præsentem materiam accommodari, quia si ibi sunt duæ entitates partiales integrantes unam, ergo necesse est, ut quælibet earum attingat ad objectum materiale et formale: ergo impertinens est earum multiplicatio. Assumptum declaratur, quia quælibet earum per se sumpta est distinctæ speciei ab aliis entitatibus aliorum actuum, et non differunt per objectum materiale tantum, quia circa illud materiale possunt esse actus diversarum rationum: ergo necesse est, ut per formale aliquod distinguantur, et e contrario ipsum motivum, seu ratio amandi qua tale est, non attingitur nisi tendendo in aliquod objectum materiale ratione illius: ergo necesse est utramque per se attingere eandem rationem formalem objecti: nam ab illa sumitur omnis species actus interioris. Si secundum: ergo unaquæque illarum partium habebit suum objectum formale distinctum: ergo in toto illo actu non erit una ratio volendi objectum, quod est contra suppositionem: hic enim agimus comparando præcise materiale objectum ad primum formale, et præterea potius illi dicendi essent duo actus, quam duæ partes ejusdem actus, ut latius ex sequente sectione constabit.

9. *Evertitur secundus sensus in n. 5 positus.* — Secundus autem modus de compositione essentiali ex parte materiali et formali imprimis est inauditus in qualitatibus, et in omnibus formis, et consequenter ponendus esset in omnibus habitibus intellectus et voluntatis, et in actibus virtutis infusæ. Et ulterius consequenter esset dicendum eundem actum, vel habitum fidei quoad materiale partem manere in hæretico, non vero quoad formalem, et illam priorem esse acquisitam et naturalem;

posteriorem vero infusam et supernaturalem. Et nihilominus componere unam speciem actus, vel habitus infusi, quod multi concedunt: imo inde putant oriri facilitatem illam credendi, quæ manet in hæretico, aut bene operandi, quæ manet in peccatore: quia scilicet in illo manet habitus fidei, et in hoc habitus virtutum infusarum quoad materiale: sed hæc omnia mihi videntur per se satis absurda, alioquin idem esset dicendum de charitate; et lumine gloriæ, ac visione beata.

10. *Evertitur alterius.* — Ratione præterea ostendo falsitatem prædicti modi, quia illa pars, quæ dicitur materialis in tali actu, cum sit realis et physica, necesse est, ut ex se habeat propriam et determinatam speciem, in qua non constituatur per alteram partem formalem, sed per habitudinem intrinsecam, quam ipsa dicit ad objectum, sicut in substantiis physicis materia necessario ex se habet propriam suam speciem materiæ ultimam in ea ratione: hæc autem species non potest sumi ex solo objecto materiali, nam circa hoc objectum materiale versantur intellectus, et voluntas: et utraque ex his potentiis potest pluribus actibus, et sub diversis rationibus versari circa illud materiale objectum: ergo necesse est, ut illud quod dicitur materiale, in actu intellectus et in actu voluntatis inter se distinguantur: quia in actu intellectus et voluntatis nihil est physicum et reale ejusdem speciei: ergo in illismet partibus materialibus necesse est, ut præter habitudinem ad materiale objectum una tendat per modum voluntatis, altera per modum intellectus: una per modum inclinationis, altera per modum representationis: ergo una attinget objectum sub ratione boni aliquo modo præcise, et ex vi sua, et suæ indivisibilis habitudinis ad objectum: ergo necesse est, ut attingat materiale illius sub aliquo formali.

11. *Evasio.* — Responderi potest has duas partes materialis in eo casu non distingui ex objectis, sed se ipsis: unde fit, ut altera ex se sit apta ad componendum actum intellectus, altera ad componendum actum voluntatis; sed hoc nec vere, nec consequenter dici potest. Primum patet, quia illæ duæ partes vere participant rationem actus intellectus et voluntatis, et fiunt a suis potentiis cum habitudine ad objectum: ergo essentialiter includunt hanc habitudinem: est ergo eadem ratio de his, et de omnibus actibus intellectus et voluntatis. Secundum patet, nam tota hæc opinio fundatur in distinctione, vel unitate actuum ex ob-

jectis, et ideo circa unum objectum materiale dicit actum esse materialiter eundem, et circa varia objecta formalia esse actus formaliter diversos: ergo oportet ita generaliter sentire de omnibus actibus, et de omnibus partibus eorum, vel de nullis, alias facile etiam dici posset, sine fundamento affirmari talem compositionem in actibus, sed circa idem objectum multiplicari actus, et seipsis distingui.

12. *Urgetur ratio facta, num. 20.* — Præterea urget rationem factam contra prædictam sententiam: nam si consequenter loquatur, necesse est dicat, quod sicut pars illa materialis actus potest separari ab hac, vel illa parte formali, et sub alia constitui, ita potest simpliciter separari ab omnibus, et sola manere circa objectum materiale. Probat, nam illa opinio fingit hanc compositionem propterea quod manente actu circa idem materiale objectum, videtur tolli pars formalis, ut in illo vulgari casu de hoc assensu fidei, *Messias est venturus*, quia erat verus paulo ante Christi ortum, et post ea cœpit esse falsus; tunc enim videtur manere idem assensus illius propositionis quoad materiale, et amittere rationem formalem fidei infusæ, quia illi non potest subesse falsum. Et idem est in voluntate quando actus amittit honestatem manente eadem inclinatione ad idem objectum materiale. At vero si hæc ratio, et exempla aliquid probant, concludunt manere illud materiale sine novo formali, quia neque in uno assensu adhibetur nova ratio credendi, neque in actu voluntatis nova ratio amandi; sed simpliciter tendunt illæ potentiæ in illa objecta sicut antea; ergo necesse est in ipsamet parte materiali intrinsece, et essentialiter includi habitudinem ad aliquod formale objectum, quod sit prima ratio attingendi illud materiale; quia neque mente concipi potest quod maneat assensus propositionis, nisi sub aliqua ratione veritatis, aut quod maneat inclinatio voluntatis actualis nisi sub aliqua ratione bonitatis: ergo habitudo ad materiale non separatur a prima ratione formali, quod est intentum: nam si aliqua postea superadditur, erit secunda, et accidentalis, de qua supra.

13. Sed responderi potest, in illo materiali objecto includi aliquam rationem formalem, tamen illam non esse specialem, sed communem rationem boni, quia non accidentaliter, sed per se contrahitur per speciales rationes boni honesti, vel alterius. Sed hoc non recte dictum est, quia quando ratio boni ut sic, est primum motivum attingendi objectum materiale in ratione objecti, est ratio specifica et

ultima, sicut supra dicebamus, sect. 1, n. 14, de actu *honeste vivendi*, ut sic: et ita tunc non constituit pars materialis alicujus actus, sed integra quædam voluntas et appetitio: et ita jam tunc verificatur conclusio nostra: quando vero specialis bonitas honesta, vel alia similis est prima ratio volendi, tunc non movet bonitas in communi, ut sic, sed solum ut inclusa in tali bonitate: et ideo non dat speciem ultimam, nec formalem, nec materialem, sed ac summum gradum quemdam genericum: alias quod differentie subalternæ bonitatis objectivæ possent præscindi et abstrahi in bonitate specifica, tot partes physice et essentielles essent distinguendæ in actu voluntatis, quod est ridiculum; et præterea superfluum, quia ab illa parte formali ipsius actus, quæ attingit talem specificam rationem boni, inseparabile prorsus est, quod attingat communem rationem boni ibi inclusam. Sicut etiam in exemplo alio de assensu fidei, si attingit objectum propter auctoritatem Dei dicentis, necesse est ut attingat etiam propter rationem communem, scilicet testificantes ut sic, a qua ratione communi non potest sumi materialis aliqua entitas; sed tantum generica ratio.

14. *Satisfit exemplis in num. 9 et 12.* — Atque hinc obiter intelligitur in illo secundo modo explicandi, in n. 9, falso dici in hæretico manere fidem infusam quoad materiale: quia illa fides, quæ in eo manet, inclinatur ipsum non ad materialem assensum tantum, quod est impossibile, sed ad formalem assensum fidei humanæ, ad quem non posset dare facilitatem solus habitus infusus manens quoad materiale: illa ergo facultas aliunde provenit, scilicet ex eo quod plures actus facimus fidei humanæ, quam divinæ: et ideo manet habitus acquisitus fidei humanæ: et per ipsam hæresim acquiritur aliquis habitus erroris. Denique species antea acquisitæ, et communis usus operandi circa illas materias, juvat ad illam facilitandam. Et idem proportionaliter est de peccatore quoad virtutes infusas: nam illa facultas, quam experitur, potissimum oritur ex appetitu sensitivo, in quo non sunt virtutes infusæ principaliter, et moderatio passionum ex habitibus acquisitis oritur. Sequitur etiam hinc in illo casu de assensu Christi venturi, in n. 12, non manere materiale sine formali: sed si ille assensus erat antea fidei infusæ, etiam postea manet: necesse est tamen, ut semper sit verus, quia ut antea esset fidei infusæ, oportebat fieri in illud objectum materiale, ut abstraheret aliquo modo a circum-

stantia præsentis temporis, et non limitaret ad tempus futurum includendo negationem præsentis, sed solum indicaretur Christum aliquando esse venturum: et hoc sensu vera est propositio etiam post Christum natum. Si autem ille assensus daretur in priori sensu, non poterat esse fidei infusæ, neque certus, quia constabat ex testimonio divino, uno, vel altero die ante Christi ortum, eum nondum venisse, et ideo erat solum quædam fides humana, quæ potest de vera in falsam transferri. Nullum ergo exemplum est, quod cogat ad distinguendum hoc materiale a formali in ipso actu.

15. Et confirmari posset hic totus discursus retorquendo tertiam rationem dubitandi in principio argumenti propositam: nam sequitur ex dicta opinione eandem partem materialem actus posse informari simul pluribus formis specie distinctis in suo ordine, nam ideo ponunt hanc distinctionem, ut possit idem actus fieri ex pluribus motivis proximis simul. Consequens autem est plane monstruosum, et repugnat essentiali compositioni, qualis hæc esse dicitur: atque hic possent multiplicari argumenta, quæ fiunt de materia informata pluribus formis specificis, et ultimis. Præterea possent fere similia argumenta fieri de altera parte actus, quæ dicitur esse formalis, quia si illa est entitas physica, et partialis actus voluntatis, necesse est ut per ipsam attingat non solum formale, sed etiam materiale objectum: ergo in illa reperitur quidquid est necessarium ad integrum actum, et alia est superflua. Consequentia nota est: antecedens probatur primo exemplis, nam si in assensu fidei infusæ est aliqua pars, quæ nititur Deo dicenti, necesse est, ut det illi credulitatem: ergo in aliqua re: ergo oportet, ut illa pars attingat aliquid tanquam dictum, et revelatum a Deo. Idem est de actu voluntatis, est enim inclinatio quædam in objectum suum, et ideo non potest intelligi, ut aliqua res in voluntate existens tendat in aliquod formale, quin ratione illius tendat in aliquod materiale, sive hæc re ipsa, sive ratione distinguantur in objecto. Patet consequentia, quia nihil aliud est esse objectum formale in hujusmodi actibus, quam esse motivum, seu rationem tendendi in aliquid: tum etiam, quia non potest intelligi motus, quin ad aliquem terminum tendat.

16. Dices partem illam formalem actus terminari ad honestatem objecti, verbi gratia, temperantiæ, et terminari simul ad ipsam honestatem non tantum ut rationem volendi actionem externam, sed etiam, ut rem amatam,

atque hoc modo dari aliquod materiale respectu illius. Hoc tamen totum comparari ad actionem externam, ut motivum formale. Sed hoc non est ad rem, et impugnari potest fere eisdem argumentis, quæ facta sunt de altera parte materiali. Nam quando honestas temperantiæ, vel alia similis præcise, et absolute amatur propter se ipsam, quod fieri potest, quia ipsa est bona et amabilis, tunc non constituit partem alicujus actus, sed quemdam specialem actum integrum, et perfectum in sua specie, et distinctam realiter ab omni actu, quo amatur hæc, vel illa actio temperata. At vero quando actus interior versatur circa hanc determinatam naturam, vel actionem, non habet actum, quo tendat abstracte, et in communi in honestatem, sed solum in hanc honestatem hujus actus, seu in ipsum actum propter suam honestatem per modum unius objecti adæquati: non est ergo alia habitudo illius actus ad hanc honestatem, et ad illam in hoc objecto, seu in hac materia; ergo superflua est omnis alia pars materialis, quæ fingitur in actu.

17. *Expenditur quartus sensus positus n. 6.* — Atque hinc a fortiori probatum relinquitur contra tertium explicandi modum positum in n. 6, hanc habitudinem ad objectum formale non esse modum accidentalem superadditum actui, nam ostensum est ita intrinsece, et essentialiter includi in visceribus ipsius actus, ut non possit ab illo distingui, etiam ut pars essentialis: multo ergo minus distingui poterit, ut quid accidentale. Dices posse in essentia actus includi habitudinem ad aliquod objectum formale, et nihilominus dari modum superadditum quo attingat aliud formale, quod sit accidentale respectu alterius, et ita poterit ille modus esse accidentalis. Respondetur, licet hoc totum demus non esse contra conclusionem nostram, quia si respectu actus quoad essentiam ejus, datur aliquod objectum formale, illud erit primum et intrinsecum respectu talis actus, et de hoc locuti sumus in conclusione. An vero præter illud possit dari aliud, pertinet ad quæstiones infra tractandas. Ex quibus fortasse constabit non posse dari secundam rationem formalem, quæ specificet actum accidentaliter ex parte objecti: quia illa esse non posset nisi circumstantia aliqua, vel finis extrinsecus; circumstantia autem ut talis est, non potest dare novam speciem bonitatis actui interiori, ut infra ostendam. Finis autem licet possit dare bonitatem accidentalem, non tamen intrinsecam per modum in hærentem, sed

solum per denominationem extrinsecam, ut dicitur, disput. 6. An vero in eodem objecto possit esse duplex ratio formalis respectu ejusdem actus primaria et essentialis dicam, sect. sequente. Satis ergo ex his constat, tendentiam actus voluntatis in objectum materiale sub primo formali esse ex natura rei indivisibilem, et indistinctam.

18. *Secunda assertio.* — Ex quo concludo, et dico secundo, bonitatem actus interioris sumpta ex objecto esse differentiam specificam ipsius actus interioris quoad physicam et intrinsecam entitatem ejus. Hæc, ut existimo, est expressa sententia D. Thomæ 1, 2, q. 19, art. 1, ubi hoc sensu dixit differentias boni et mali esse per se, et essentielles in actu voluntatis. Ubi Conradus ita hoc intellexit, et sequitur, et idem D. Thomas, quæst. 54, art. 3. Consequenter dicit bonum et malum, seu virtutem et vitium distinguere specificè, et essentialiter habitus voluntatis: et ibi docet esse eandem rationem de actibus, quæ est de habitibus. Idem, 1 part., quæst. 48, art. 1, ad 2 et 3 et alibi, ut ostendam tractando de malitia. Item Gabriel expresse in 3, dist. 23, q. 1, notab. 4, ubi refert Ocham, Almainum, tract. 1, Moral., cap. 13, quatenus dicit bonitatem actus nihil esse nisi actum ipsum.

19. Ratione patet ex dictis, quia bonitas honesta objecti potest esse prima ratio volendi illud: ergo vel voluntas primo inde movetur, vel non: si non inde primo movetur, non eliciet actum bonum ex objecto, nec de illo nos loquimur, nam ut talis actus sit bonus, oportebit addere vel circumstantiam aliam, vel finem bonum, unde bonitatem sumat. Si autem voluntas primo movetur ab illo motivo: ergo actus ille accipit inde primam speciem essentialem suam et entitativam, ratione cujus est actus virtutis, et honestus ex objecto, ita ut quamvis ex nullo alio capite habeat bonitatem, dummodo nec malitiam aliunde habeat, sit ille actus simpliciter bonus et virtutis, quia tendit in honestum primo, et per se, qua honestum est. Solum superest probandum primum antecedens assumptum, quod per se satis est notum, quia quælibet ratio boni est per se sufficiens ad movendam voluntatem: ergo multo magis ea, quæ est suprema et perfectissima, scilicet honestas: quis enim opinari potest posse voluntatem præcise amare aliquid; quia delectabile est, et non quia honestum est? Unde confirmari potest hæc veritas exemplo virtutum moralium quoad habitus, nam illæ ideo sunt virtutes essentialiter, quia

inclinant primo, et per se ad honestum, ut sic: ergo idem est de actibus illis proportionatis. Idem servatur in actibus et habitibus intellectualibus. Item in charitate, et virtutibus theologis: imo ex hoc principio sumenda est totalis distinctio virtutum infusarum et acquisitarum, et actuum earum per habitudinem ad honestates diversorum ordinum.

20. Ad primam rationem dubitandi in n. 1 positam, respondetur ex dictis de *esse morali*: nam licet hoc *esse*, ut formaliter dicit denominationem moralitatis, non sit *esse physicum* intrinsecum, sed denominatio extrinseca, tamen illud *esse*, in quod cadit hæc denominatio, potest esse physicum et intrinsecum: et hoc modo esse virtutis in actu voluntatis, est *esse morale*: et hoc sensu dixit aliquando divus Thomas *esse morale* per se convenire actui interiori, ut in 2, d. 40, quæst. 1, art. 1. Alibi vero dicit *esse morale* comparari ad *naturale*, sicut quale ad substantiam, ut quæst. 2, de Malo, art. 6, ad 3. Sed ibi intelligendus est vel de *esse morali* primo modo pro denominatione ipsa, vel indefinite, seu permissive, pro aliquo *esse morali*, quod est malitia, de qua ibi agebat D. Thomas: absolute tamen, et universaliter non est necesse, *esse naturale* esse quid distinctum ab *esse morali* in sensu dicto. Sed potius sicut voluntas includit *esse naturæ*: est enim natura quædam essentialiter, ita actus ejus in sua naturali entitate includunt specificationem moralem.

21. Ad secundum supra responsum est, actum ex objecto bonum non posse amittere illam bonitatem sine sui mutatione. An vero posset aliunde fieri malus accidentaliter, infra dicitur. Tertium argumentum petit sequentem dubitationem.

SECTIO III.

Utrum idem actus voluntatis possit habere plures bonitates specie diversas ex proximo objecto sumptas.

1. *Excluditur alienus casus ab hac quæstione.* — *Tripliciter alius proponitur.* — Primo certum est quæstionem præsentem non habere locum quando actus interior unum tantum habet objectum materiale et formale: quia tunc non est unde sumatur bonitatis distinctio, seu pluralitas: et ideo necesse est, ut tunc actus habeant unam bonitatem ex objecto, quidquid sit de circumstantiis et fine, de quibus infra: procedit ergo quæstio, si quando

contingat circa plura objecta actum versari. Quod tripliciter contingere potest, primo quod objectum tam materialiter, quam formaliter sit distinctum. Secundo, quod objectum sit materialiter unum, formaliter autem plura, id est, quod sit una res pluribus motivis, seu rationibus amata. Tertio, quod objecta sint materialiter plura, seu in esse entis specie diversa: formaliter autem sint unum, seu quod ratio amandi illa, sit eadem. Ex his autem modis primus, non habet controversiam; nam constat ex illis objectis sumi plures bonitates non tamen in eodem actu, sed diversis, quia non est, unde tunc actus habeat unitatem, cum neque in objecto materiali, nec in formali sit convenientia. De tertio modo dicemus, sectione sequenti. Secundus ergo hic superest disputandus. In quo nihil dicendum est de pluralitate numerica, quia si in uno actu una est bonitas specifica respectu objecti, necesse est, ut una sit etiam bonitas numerica, quia neque ex parte actus, neque ex parte objecti habet, unde multiplicetur, aliunde vero si bonitates fuerint plures in specie, erunt numero distinctæ, ut ex Metaphysica constat; ergo tota quæstio revocatur ad specificam pluralitatem, ut in titulo proposita est.

2. Ratio dubii esse potest, quia D. Thomas, 1, 2, quæst. 1, art. 3, ad 3, docet humanum actum unum in *esse naturæ* posse esse simul in pluribus speciebus moralibus; ergo idem actus voluntatis quamvis sit unus in se in *esse naturæ* ratione unius objecti voliti, poterit esse in pluribus speciebus bonitatis moralis propter plures rationes volendi tale objectum. Secundo, quia non est inconveniens eandem rem sub diversis rationibus formalibus constitui in diversis speciebus qualitatis, seu accidentis: ergo multo minus erit inconveniens in actibus moralibus, qui facilius varietatem recipiunt. Antecedens patet, nam juxta communem modum sentiendi idem calor sub una ratione est patibilis qualitas, et sub altera est in specie potentiæ. Tertio, quia videtur hoc experimento cognosci, quod voluntas interdum moveatur ad amandum rem aliquam ob plures rationes boni simul in ea inventas et consideratas, a quibus interdum ita movetur, ut una, vel altera per se considerata non fuerit sufficiens ad afficiendam voluntatem, et tamen omnes simul tandem illam inducunt: ergo signum est illum motum voluntatis procedere simul ex multis motivis formaliter diversis: habet ergo ab illis plures bonitates. Neque enim videtur convenienter dici multiplicari